



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliæ Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

72. An Episcopi sine aliqua causa possint abesse per trimestre ab eorum  
Diœcesibus, stante Concilio Tridentino, sess. 23. c. 1. Ex p. 5. tr. 13. &  
Misc. 1. res. 90.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76359](#)

# 340 Tract. III. De Potestate Episcoporum,

## RESOL. LXXII.

*An Episcopi sine aliqua causa possint abesse per trimestre ab eorum Diocesis, sicut Concilium Tridentinum. c. 1. Ex p. 5. tr. 13. & Mise. 1. Refol. 90.*

**S. 1.** **N**otandum quod trimestris absentia Concilium *vbi supra*, conscientia Episcoporum remittit. Sed Sotus de infinita lib. 10. q. 3. artic. præterita §. 4. & alij afferunt ad hanc absentiam per trimestre honestandam sufficere si fiat animi recreandi causa, aut consanguineos, vel amicos inuisitos. Sed alij hanc causam ad mensuram vnum putant sufficientem raro ultra, quia satis necessarii natura illo spatio prouidentur. Ita Valquez opus est. de benef. cap. 4. §. 2. artic. 1. dub. 3. num. 147. & post illum Causus Palau tom. 2. tract. 13. disput. 5. punct. 4. num. 1. Verum cum Soto confitit Azorius part. 2. lib. 7. cap. 4. quest. 1. quem refert Sanctarellus var. tom. 1. quest. 4. n. 5. afferentes, & concedentes Episcopis spatium absentiae ob causam animi relaxandi.

## RESOL. LXXIII.

*An Episcopus absens a residentia licet posset continuare trimestre unius anni cum trimestri alterius anni?*

*Et notatur Episcopum peccare mortaliter non residendo ab alijs causa etiam in tribus mensibus, de quibus loquiur Concilium, non tamen tenetur restituere frumentus. Ex p. 9. tr. 6. & Mise. 1. Ref. 22.*

**S. 1.** **D**e hoc casu olim interrogatus fui, & affirmavi respondi; nulla tamen Doctoris autoritate nixus: sed, quia nunc inuenio, hanc sententiam etiam docere doctum, & amicissimum Patrem Pellizarium, apponam hic eius verba: sic itaque habet in *Man. Regul. tom. 1. tract. 5. cap. 8. sect. 3. num. 162.* [I]llud præterea hic controvenerit potest, an beneficiarius, qui, v. g. anno 1645, absuit a residentia per trimestre concessum in Concilio Tridentino, nimirum, mense Octobris, Novembris, ac Decembris, vigore dicti Concilij posset anno 1646, item absuit toto Ianuario, Februario, & Martio ad rationem trimestris absentie posterioris huius anni, ita ut ab sit a residentia sex mensibus continuatis; id ad expediendum negotium inchoatum in trimestri anni 1645.

**2.** Respondeo, videri posse absesse totis sex illis mensibus continuatis. Et probatur: tum, quia Concilium Tridentinum concedit, ut beneficiarius quilibet anno per tres menses absens possit a residentia; nec vetat immediatam contiuationem trimestris anni praecedentis cum trimestri anni sequenti: non ergo apparet, cur in praesenti casu absentia trimestris sequenti non possit continuari cum absentia trimestris praecedentis; cum lex generaliter loquens, generaliter debet intelligi; & ubi ius non distinguunt, nec nos distinguere debeamus: tum, quia Sanchez lib. 8. de mair. d. 34. n. 36. fin: admittit, dispensatum à Sacra Penitentiaria cum onere Confessionis mensura in perpetuum facienda, satisfacere, et si ab ultima Confessione plurquam mensis elabatur; & si praecedens Confessio sit facta die 1. Novembris, satisfaciet aliam Confessionem faciendo ultima die Decembris: cum prescribatur Confessio singulis mensibus, & in praesenti casu verificetur, Confessionem factam sive quilibet mense, quamcumque die dictorum mensium sit facta. Quæ doctrina bene potest adaptari praesenti casui, cum Conciliū dicat, quo-

libet anno; & alias cuilibet anno correspōdeat vniū tantum trimestre absentia. Sic ego respondi in facti contingentia, & responsionem approbarunt viri valde docti.

**3.** Puto autem, hos tres menses absentia debet computari 28. aut 30. aut 31. dierū: prout ijin Kalendario occurrerint eo tempore, quo beneficiarius vult absēs, & quod ex eo mense deficit, accipendum esse de sequenti v. g. incipi beneficiarius absēs à die 1. Iulij, poterit absēs toto Iulio, Augusto, Septembri, & præterea primis 10. diebus Octobris substitutis loco 10. dierum, qui deerat mensi Iulio, & quidem non cōputatis terminis iuxta illud: *Dies termini non computantur in termino.* Hac omnia Pellizzarius *vbi supra*.

**4.** Notandum est hic obiter, Texedam docere, *E*piscopum peccare mortaliter, non residendo absēs causa, etiam in tribus mensibus, de quibus loquitur Concilium. Sic itaque assēt in *Theol. mor. tom. 1. lib. 2. conr. 20. n. 22.* Maius tamen dubium est, quo pačo, si Episcoporum residentia est de iure diuino naturali, *Conc. Trid.* concessit illis, ut possint in suis Ecclesiis per tres menses non residere. Et potest ratio dubitandi deduci: quia Concilium non potest dispensare in iure diuino naturali, ex quo talis obligatio residendi nascitur. Cæterum dico, nunquam Concilium Trid. in *prædicta secta*, 6. concedere licentiam Episcopis, ut possint esse absentes à suis Ecclesiis per tres menses; sed voluit cohibere, seu restringere quandam Episcoporum abfusum, quin potius dicam, quandam deputati moris corruptelam, eō quod Episcopi non bene intelligentes Concilium, maiori licentia ad non interessendum in suis Ecclesiis vrebantur, quā opus erat, cum maximo suarum conscientiā onere; id est per tres menses erant a suis Episcopatibus absentes, præsumentes illud tempus eis à Concilio concessū, ut absēs possint a suis Ecclesiis. Et hanc prauam intelligentiam textus voluit cohibere Concilium, restringendo ad tres menses, ut per illud tempus, & non amplius possint Episcopi absēs, sed non residere in suis Ecclesiis. Et hoc quidem (quod est maximè aduentendum) non liberando Episcopos, qui per tres menses in suis Ecclesiis non resident, sed sunt absentes, à mortali culpa: nam certum est, Episcopos absque iusta causa in suis Ecclesiis non residentes, etiam per tres menses, peccare mortaliter, et seque transgresores Precepti diuini naturalis: sed solum eximendos a peccatis debitibus pro absēntia, iudicando trium mensium spatiū esse parvum tempus; quod tamen pro nihil reputari solet, apud viros doctos, & prudētes in exteriori foto, in qua humanū iudicium suum certum sedile habet, quantum ad imponendas, aut remittendas penas. Et id est si aliquis Episcopus absque iusta causa per tres menses in suo Episcopato non resideat, peccat mortaliter coram Deo: non tamen tenetur restituere fructus Episcopatus, nec alias poenas. *Huc velq; Texeda.*

**5.** Sed ego existimo, ut alibi adnotau, & obseruat Barboña in *Concil. sessi 22. c. 1. n. 16.* hoc spatium trium mensium concedi posse Episcopis causa animi relaxandi. Idem docet Sanctarellus var. *refol. p. 4. n. 5. in fine.* ex quo molitur, ne dicam, solitus rigor doctrinæ Magistri Texedæ.

## RESOL. LXXIV.

*An Episcopus, qui propter bona temporalia, vel ambientium aliam pinguorem Episcopatum procurat, peccat mortaliter? Ex p. 4. tr. 4. & Mise. Ref. 100.*

**S. 1.** **V**inam hic casus frequenter non accidet, & in illo peccare mortaliter Episcopū, respondet Bartholomaeus Medina in *suam lib. 1. c. 1. 6. §. 2.* vbi sic ait. *El Obispo si despues que tiene en Obispado procura otro mayormente por medios humanos y sola-*

*res*